


PAG.	PAG.
Quantum persaepe a veritate aberrent hominum opiniones de rebus magni momenti conceptae	14
Interest Reipublicae ut illatae iniuriae puniantur	30
De libera Imperatoribus administrandi belli potestate facta	51
Respublica ac Principes potentes amicitiam non auro, sed viribus ac virtute comparant	68
Quae ratio sit quod Reipublicae forma quandoque sine sanguine, quandoque magnis caedibus mutetur	87
Respublicas tribus modis solere Imperium comparare	104, 123
Multi decipiuntur, dum sub quadam utilitatis umbra superbiam evitare conantur	141
Eos, qui in eadem regione nascuntur, semper retinere aliquid naturae eius regionis, cognatum et familiae	158
De illustrium civium Romanorum paupertate	194
Ius.	
De fontibus iuris italicici lineamenta historica. (<i>S. Romani</i>) - Aetas Neo Latina 8, 22, 41, 59, 81	
Aetas Nova	96, 114, 131, 147, 166
Interludium (<i>S. Romani</i>)	189
Libera a pittaciis responsa	160
Libri dono accepti	16, 52, 70, 106
Librorum recensio . 16, 32, 70, 88, 106, 159	
Litterae et Philologia.	
De dramatibus emendandis (<i>I. Antonelli</i>). 4	
De ludis discendi apud Romanos (<i>I. I.</i>)	6
Ars tragica apud Sophoclem et Shaksperium (<i>D. T.</i>)	77, 91
De sacro carmine vulgo « Dies irae » nunquam cupato (<i>I. Antonelli</i>)	163
De latini sermonis notissingularibus (<i>J. Iss.</i>):	
— De peculiari vi pronominis <i>is</i> , <i>ea</i> , <i>id</i>	177
— De pronomine <i>idem</i> , <i>eadem</i> , <i>idem pro simul</i> , aut <i>tamen</i>	178
De substantivo abstracto	186
Nostra res: Ad renovandum latinae linguae usum	43, 44, 79, 174
Medicae notae.	
Protrahendae vitae praecepta (<i>R. S.</i>)	12
De cibis tum ex regno vegetabili tum ex regno animali desumendis (<i>I. Waldschmidt</i>)	48, 84
De causa morborum (<i>I. Waldschmidt</i>)	100
De vario morborum genere (<i>I. Waldschmidt</i>)	153
Pagina Herderiana.	
De duritia corporis (<i>A. Avenarius</i>)	63
De hominis aetate (<i>A. Avenarius</i>)	137, 151
Roma sacra.	
Ex supra S. Congregatione S. Officii	103
Ssni D. N. Pii P. P. XI epistola encyclica ad Foederatarum Americae Civitatum Episcopos de cinematographicis spectaculis	118
Sapientum pervestigationes a radio-phonica Vaticana statione latine vulgatae.	
De humana physiologia ad ingentes altitudines	10
De causa eversionis templi Veneris Genitricis	11
De corallio rubro fossili	11
De nova methodo in gasolina producenda	11
De quibusdam metallorum reactionibus	11
De vegetabilibus sub luce Wood	11
De depositis bauxitidis inventis	27
De terris tertiaris Vallis Aquilanae	28
De varia reactione plantarum	28
De alumite in Gallia	28
De venis auriferis in regione Vallis-Sesiae. 47	
Sententiae. 47, 85, 112, 136, 139, 150, 156, 170, 174, 182, 188, 191	
Vacui temporis hora.	
Pro iudicibus mensarum elegantibus escarum ordines (<i>I. F.</i>). 15, 31, 52, 69, 88, 105, 124, 142, 159, 195	
Iocosa (<i>I. F.</i>). 16, 31, 70, 88, 105, 124, 142, 180	
Aenigmata : 16, 31, 52, 70, 88, 106, 124, 142, 159	
Varia.	
De casu ad res reperiendas homini utiles (<i>Her.</i>)	25
Deambulationes Romanae: Ad Tiburtinum Estense (<i>P. d. V.</i>)	133

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,

Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exterias nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIII

Romae, Mense Decembri MCMXXXVI

Fasc. XII



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequahs; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

DE INGENUIS ARTIBUS CHRISTIANO MORE EXERCENDIS

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS *Natalitia* quae imminent festa et novum annum fausta et felicia ex animo ominamur. Consilia et proposita nostra quae futura sint anno MCMXXXVII, in proximo fasciculo, qui vitae nostrae an. XXIV dabit initium, aperiemus: *hodie id unum confirmamus, nos in incoepitu nostro immutato animi ardore persisturos: sic sociorum favor stabili firmeque ratione nobis adsit vires nostras reficiens, immo novorum numero augentur!*

Liceat demum eos rogare, qui nondum subnotationis pretium solverunt, ne ulteriore moram intermitte patiantur. Idem pretium — quod immutatum et proximo anno manebit — est, ut iam omnes norunt, italic. lib. 15 pro Italia; ubique extra Italiam lib. 30.

ALMA ROMA.

Scripturo iterum de ingenuis artibus praebet argumentum aetas. Iamvero dum viri omnes ac res in unum tendunt, ut diuini hominum statum beatoremque vitam faciant, in idem etiam cogere artifices non pauci praesumunt. Poëtam invocant plures, qui veluti divinus augur novae humanitatis carmina dicat properetque versibus fata. Cupiunt eidem esse fratres milesiarum fabularum scriptores; pictores atque sculptores hortantur ut eadem mente fingant formas, musicisque modis, qui calleat, ut molliat animos, ut erigat in novas spes volunt. Optima ista quidem, sed non per fas et nefas quaerenda; neque improbandum quidquid flexam per viam forte procedat, dummodo non iniquam, non impianam, dummodo floridam, aulentem, iucundam.

Non iterem, aedepol, questus sacerdotum pulchrarum rerum ineptos, qui se autumant quasi divinam inter barbaros cives vivere vitam: vivant illi, dum liceat, legibus soluti, quoisque saltem alienas res non diripient, vel armata manu in civem impetum faciant. Pulchri enim huiusmodi

experimenta libere aggredi vigiles urbani non sinent. Sed palam contra teneo artifici munus non esse conlatum ut singulos vitae eventus perscrutetur oculis, reddatque verbis aut coloribus, ut erigat omnes miseros, ut humiliores hortetur ad conserendas manus. Faciat quidem si lubet, atque si pulchre fecerit, plausus operis iure excipiet: at si alias egerit, non ideo sanus labor eius censendus est, neque aberrans ab officio quod in communitate vivendi ille gerit.

Commerciis nimium late provectis, vel incuria omnium rerum nisi pecuniae, factum puto ut tangere manu bona, ut igni probare et tamquam examinare studeamus, nihilque iam sit in pretium quod certis nummis non veniat. Inde equidem natum novissimum hoc agmen magistrorum, qui praedicant ipsis artificibus omnem lapidem esse movendum, ut commune bonum provehatur.

Sed res omnino e diametro sese habet: singulis enim ingenuis artibus sunt certi modi certaeque vires et lacerti, quibus utamur ad vitam. Litteris, puta, exercendis, quoniam de his melius loquimur, rerum per philosophiam cognitio praecedat oportet, historia praebat res, suppeditent opem naturales disciplinae. Quo fit ut privatae vitae quasi diurna enarratio litteris et maneat simul, simulque earum opera committetur vivendi genus: in orbem mutantur undae quae ex populo ad artifices, ab artifice ad populum fluxae redeunt. Nihil igitur obstat quominus scriptor ad populares descendat, exque eorum moribus quid mox scribat seligat; at lubet etiam vagari per aethera, per abacta tempora remeare, latibras terrarum enarrare divino afflatus musarum: alterutrum si fecerit, par opus erit pariterque civibus salubre. Utrumque genus itaque scribendi communitatii aptum censeo, primum vero populare melius dixerim. Ut autem sit christiano viro probatum, oportet illud ad ea quae sunt spiritus non fracto volatu suspicere, aeterna sem-

per quodammodo intueri, dum percutit manus marmor. Dum contendimus enim de pulchri atque recti praecepsis, terrenarum rerum caelestiumque pugna agitur; cuius impio studio recens omnia negata sunt, quae oculis subiecta non sint. Quapropter si poëta cecinerit animae triumphos, erit et ille optime de re publica meritus, atque de re christiana simul; unde sciat quisquis ad hoc sacerdotium artium liberalium sit vocatus, non tantum bonum opus sese facere posse si popularium doloribus prospiciat, sed etiam si subveniat animorum necessitatibus.

Neque enim semel diximus, fas esse nemini pane tantum vivere, sed oportere coniunctim ut iuvetur animus civium atque extollatur. Neque discrimen hoc, quod imminere saeculo creditur ex humiliorum turbis, de bonis tantum est, sed de religione quoque atque de doctrinis agitatur lucta. Quae igitur scripta mores attingunt, eodem studio diffundi ea decet quo evulgantur libelli de rationibus dominicis aut de operariorum mercede.

Sed, proh dolor!, animorum egestate non plebeii tantum laborant, verum et honestiores persaepe viri: optimates, qui otiosam vitam pertrahunt, adolescentes qui in studia incumbentes aberrant omnino a veritate, nobiles matronae, quae pessimis fabulis utuntur passim ad mentis oblectamentum. Num itaque singulis hisce sileat omnino artificis verbum, an ipsis quoque cavebit? Faciat ferme artifex atque optime faciat ut iuvet opera sua omnes civium ordinis; quod si opificum dolores non enarraverit, multum tamen aliunde de republika mereri poterit.

I. ANTONELLI.

In praecipi pedem porrigit qui mensuram suarum limitem non attendit. et plerumque amittit quod poterat, qui audacter ea, ad quae pertingere non valet, eripere festinat.

S. GREGORIUS.

PUERILIA SEU PLATEA VERGILIANA¹

MANTUA, CIVITATI CARISSIMAE

Re prope quotidie fieri quae, Mantua, cernis
Accipe nunc facilis carmine picta meo.

Quid toto invenias puero divinius orbe?
Illi vix teretes aulae caelestis alumnos
Quales effingit sibi mens (demptis tamen alis)
Terras qui faciles visant componere possis,
Ut, simul adspicias, simul oscula figere quaeras.
Quod iubar ex oculis! Qui candor fulget in ore!
Sunt roseae duo mala genae, crispusque capillus,
Vel pluma levior, byssu vel mollior ipso,
Quam belle, rutilo prout nimbo, tempora cingit!
Si ridet, tibi caelum ipsum ridere videtur
Ut mane, aurorae vario cum pingitur ostro:
Si loquitur, quis non stupeat tam candida verba?
Prima coruscârunt labiis ubi fulgura mentis,
Quam laeti ingenii monstrum cecinere parentes!
Ah, non immerito istorum quandoque corona
Cingi exoptabat. Iesus, nec inaniter, istis
Caelica regna dicans, mala formidanda minatur
Quisquis vel dicto insontem conturbet in uno.
Nam quae foeda solent iuvenes temerare senes-
[que
Haud dubie his nunquam puerum sordescere
[cernas.
Nulla igitur si cara magis spectantibus aetas,
Ne quemquam pigeat pueros adiisse frequentes.
Est locus apricus, satis et semotus in urbe,
Qui denis prope iugeribus patet, undique pror-
[sus
Arboribus circum certo ordine consitus altis
Praebeat ut cuivis xystos iucundus et umbras,
Quas occulta ales dulci modulamine replet,
Dum praepes, valido velut arcu emissâ sagitta,
Per sudum volitans, culices venatur hirundo.
Intus at areolis tractus distinguitur omnis,
Atque hac prata virent, illac arbusta venustis
Exuberant foliis, alibi, prope dixis ubique,
Floribus omnigenis redolet nitidissimus hortus.

¹ Pergratum nobis est alterum hoc clarissimi nostrorum dierum Mantuani latini poëtae carmen in *Almae Romae* paginis edere. Idem italice iam redditum est a Iosepho Ferrari, vulgatumque Asulis ex officina Martarelli.

Urbis in hospitium admissi, nunc otia ducent,
Et quae, se pueris, meminerunt acta, renarrant.
Totius in parvo prope vita hic volvitur urbis,
Vergiliusque bonus, celso de vertice molis
Patria quam nuper populo plaudente locavit,
Singula ut eveniunt praesens spectare videtur.
At spectanda magis, magis et prudentibus apta

Quae, variis celebrata modis et ubique per horum tum,
Festa movent ludis pueri feliciter insci!
Quam iucunda oculis, quam dulcia gaudia cordi!
Felices nimium si, qua modo rite fruuntur,
Innocuis intexta iocis decurreret usque
Proelia nec nossent homini quae vita reservat!
Quis, capite albescens, non se respectet in illis,
Aurea nec revocet primaevae tempora vitae
Cum, corde ingenuus, simplex, curisque solu-
tus,
Ludis se quoque mandabat sudore madentem?
Adspice: dum famulæ, insignes ventralibus
albis,
Exiguis lente circumvectare vehiclis
Infantes satagunt et, in umbra molle sedentes,
Invigilant matres dum commentantur inertes,
Saepius aut alacres sarcimina vestibus addunt
Aut aliud peragunt maculis distinctum opus,
ecce
Diversi hac illac multi puerilibus annis
Laetantes coetus temere vocitantque ruuntque
Omnimodos simul in ludos genialiter acti.
En, cursu hi certant; citus his aut verbere
turbo
Vertitur aut, virga feriente, volubilis orbis;
Stridente ille tuba socios divexat, at ille
Curriculo fratrem gaudet raptare minorem;
Dexteritate pilam iacit hic, alterque repellit;
Hic, tenui vero praecinctus fune sub alas,
Instar equi currit, dum chordæ extrema sodalis
Pone tenens, auriga velut, moderatur habenas.
Hic, contra, abiegnō, quatuor vix floridus annis.
Laetatur gravis oscillante equitare caballo.
Nec desunt pugiles sibi qui luctentur amice,
Vel parvas agitent birotas vel gymnada tractent.
Denique, ubi currus et equi intersint, ubi virtus
Corporis excellens, ubi prompta audacia cordis
Perbellæ ostendenda cadat, variis ibi ludis
Semper adesse mares acri cum ardore videbis.

His quam dissimiles prudens Natura puerillas
Ingenio, studiis, sensuque et mente creavit!
Virgo domum redolet quae sponte domestica
quaerit,
Iugiter et ludos amat exercere serenos.
Cauta venustatem colit, at, quae gratia simplex,
Qui pudor, illius verecunda in fronte refulget!
O, sacra ista aetas quae tecti ab amore paterni
Abducens miseram et mundi per aperta viarum
Iactans, tam niveos mores corruptit iniqua!
Cum pravi at saecli ignorans divinitus artes

Casto efflorescit proprio candore tenella,
Naturae facilis tunc paret alumna magistrae.
Ubera namque dolens vixdum materna reliquit
Pupam delicias facit. — En, gremio ista locatam
Exagitat blande blandeque adfatur, at illa
Compositam cunis somnum iam carpere suadet,
Infirmam aut fingens lenis medicamina praebet.
Nonnullae, hic, mensam ponunt et lancibus or-
nant;
Dum pars ollulam aqua replent ius unde paretur,
Pars sabulum macerant, miscent, massamque
remiscent;
Complures illic, manibus se rite tenentes,
In girumque datae, in medio dum permanet una,
Taedium adusque canunt, ut summa aestate ci-
cadae.
Has iuvat in numerum, paribus pedibusque, sa-
lire
Funiculum super, in numerum quem subter
amicæ
Excutiunt; alias virgis vibrare per aethram
Orbiculos, sociae quos virgis de aëre captent.
Ista globum resilire adgens, multiplicat ictus
Iuges si valeat centum geminare repulsus;
Illa, ex membrana contorta vortice facto,
Fustique imposito, procurrens excitat auras
Quies celeres rapitur vortex agitatus in orbes.
At quae nunc florent, terrarum forsan ubique,
Ludorum formae, quis, vel facundior, omnes
Dinumerare potis? Scaenas quis mille referre
Quae nova spectanti interdum solacia praebent?
Hic subitas etenim lites quandoque videre est
Cum quis se a socio deceptum forte reatur;
Conclamant, pugnos intentant, acriter instant;
Irarum at rabiem ferme cita subsequitur pax.
Quot parvis struere asseribus castella laborat
Strenuus ille puer! Fundat, superaddit, adauget,
Complacet ipse sibi, sed, dum fastigia ponit,
Sponte ruunt... Nostræ, o, verissima mentis
imago
Quae sua tam crebro elabi molimina cernit!
Iste autem qui, stans, manibus post tergora
iunctis,
Tam gravis humorem spectat quo prata rigan-
tur
(Namque alto egrediens ex vortice pulvris in-
star
Haud secus ac lenis late diffunditur imber)
An fortasse novum monstrum iam mente volu-
tat?

Et quae, sola sedens, digitum modo sugit,
ocellos
Usque immota tenens patulos ad inania fixos,
Pectore adhuc inopi quid blanda puellula versat?
Ut, vixdum sibi non notas, quo venerit, oras
Sedulus atque sagax oculis novus advena lustrat,
Haud secus ultro puer, nuper peregrinus in orbe,
Singula quae cernit pensat tacitusque revolvit;
Luce ita mens eius sensim perfunditur alma
Qua rerum species et vitæ pulchra renident.
At, dum quisque suis pueri facilesque puellæ
Prorsus inexperti ludis incumbere pergunt,
Vox fetus oritur stridensque it clamor ad auras.
Sollicitæ adcurrunt matres; quid denique? pu-
pam
Quis male foedârat... proh, crimen vel nece di-
gnum!
Ast alibi quem cervum Itali dixere volantem
Arte sua structum puerorum turba strepentum
Ut caelo extollant studio ac fervore laborant.
Qui fremitus vero, qui clamor et undique plau-
sus
Cum longa adplicatum reste, impellantibus Euris
Cursu progenitis, obliquum rite levari
Et longas caudas fluitare per aëra cernunt!
Sed procul, en, ingens sonitus defertur ab alto,
Et magis atque magis strepitu crescente propin-
quat.
Exciti una oculos attollunt protinus omnes;
Res mira! Impavida ut classis vaga navigat ae-
quor,
Aëriae cymbæ, quasi aves immanibus alis,
(O, quid non, animis fidens ingentibus, audes
Iapeti genus, o domitor terraque polique?)
Securæ, prius infidum, simul aethera findunt;
Aligeras naves pueri sectantur anheli,
Sed celeres abeunt atque ora stupentia linquunt.
Vitæ nec raro hic videoas extrema coire:
Sanguinis immodicus cum iam deferuit aëstus,
Sæpe solet rursus puerascere tarda senectus.
O, quotiens avus effoetus iam cruribus aeo-
Dulce aliquid gaudet tenero monstrare nepoti
Audeat ut primos proprio pede ponere gressus!
Aut quotiens genibus positum quassare pusillum,
Ac si equulo insideat dum risu gaudia prodat!
Talia quaque dies ferme iucunda tuetur;
Quandoque at videoas cynici quae vel gregis ipsa
Pectora commoveant. Cui tunc non rideat orbis?
Huc adsis; iam vesper adest, fruticumque
gradatim
Longior, ignaris oculis, protenditur umbra.
Artibus indignis pariter diroque veneno
Influant mentes? An non sint forte pericolo?

*Idecirco pietate animos, florente iuventa,
Ipse simul, valido contra impia dogmata vallo,
Muniri voluit sapienter. Plaudite cives!
Imperium nuper toto quod iure paratum est
Robore sic audens simul et virtute, iuventus
Temporis haec nostri aeternum servare valebit.*

ANACLETUS TRAZZI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS

III

De substantivo abstracto.

a) Substantivum abstractum eleganter transit in gerundium aut gerundivum.

EXEMPLA: *Commorandi* natura diversorum nobis, non *habitandi* locum dedit (CIC.) — Caesar comitiali morbo bis inter *res agendas* correptus est (SUET.) — Cleanthes philosophus aquam traxit et *rigando hortulo* locavit manus (SEN.) — Caesar, armorum et *equitandi* peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat (SUET.) — Quis illo gravior in *laudando*, acerbior in *vituperando*, in sententias argutior, in *docendo* subtilior? (CIC.) — *Vigilando, agendo, bene consulendo*, prospere omnia cedunt (SALL.) — In *emendando* quae corrigenda sunt, non est acerbus bonus magister (QUINT.) — Animi contentionem adhibe *legendō* (CIC.) — Caesar hostes invitat ad *dimicandum* (CAES.) — Omnis *loquendi* elegantia augetur *legendis oratoribus* (CIC.) — Prohibenda est vis in *puniendo* (CIC.) — *Exspectando et desiderando* pendemus animis (SEN.) — Magna vis est in virtute ad *beate vivendum* (CIC.) — Virtutes cernuntur in *agendo* (CIC.) — Canes *venandi* et *custodiendi* causa generati sunt (CIC.) — Demosthenes summam vim habuit *dicendi* (CIC.) — Ad onera et multitudinem iumentorum *transportandam* paulo latiores

fecit naves (CAES.) — Comitia indicite, patres, tribunis militum *creandis* (T. L.) — In voluptate *spernenda* et *repudianda* virtus vel maxime cernitur (CIC.) — Urbi *condendae* locum elegerunt (T. L.) — *De liberando* saepe perit occasio (P. S.) — In *redeundo* auspicari erat oblitus (CIC.) — Hominis mens *discendo* alitur et *cogitando* (CIC.) — Oculos natura nobis, ut equo et leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum *declarandos* dedit (CIC.) — Hannibal opinionem de se auxit conatus tam audaci *traiciendarum Alpium* (T. L.) — Natura mulieri domestica negotia *curlanda* tradidit (COL.) — Initia sunt consilia *urbis delendae, civium trucidandorum* (CIC.).

b) Substantivum abstractum eleganter transit in participium coniunctum aut absolutum.

EXEMPLA: Quae Genabi oriente sole gesta essent, ante primam *confectam vigiliam* in finibus Arvernorum audita sunt (CAES.) — Quotiens fidem *mutatosque deos* flebis! (HOR.) — Datur Italiam, *sociis et rege recepto*, tendere (VERG.) — Mores cognosci nisi *adhibita cura et studio* non possunt (MURET.) — Astyages rex in ultionem *servati nepotis filium Harpagi interfecit* (IUST.) — Magnus moeror patres misericordiaque *sociorum peremptorum* et pudor non *lati auxilii*, capit (T. L.) — Pelias rex *Iasonem perditum cupiebat* (IUST.) — Horum benevolentiam nobis conciliarat per me quondam *defensa res publica* (CIC.) — Te *veniente die, te decedente canebat* (VERG.) — Pons in Hibero prope *effectus nuntiabatur* (CAES.) — Bona, *imperante animo*, fit pecunia (P. S.) — Risis saepe ita repente erumpit, ut eum *cupientes tenere nequeamus* (CIC.) — Restitere Romani, tamquam caelesti voce iussi (T. L.) — Aliquis vir bonus nobis eligendus est atque semper ante oculos habendus, ut sic tamquam *illo spectante vivamus*, et omnia tamquam *illo vidente*

faciamus (SEN.) — Haedui renuntiant se Biturigum perfidiā *veritos revertisse* (CAES.) — *Amisso amico*, consuetudine iucunda me *privatum videbam* (CIC.) — *Occisus dictator Caesar* aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur (TAC.) — Praedae tantum fuit, quantum *capta Carthagine* (T. L.) — *Omnium rerum natura cognita* levamur superstitione, liberamur mortis metu (CIC.) — E muro in mare se abiecit, *lecto Platonis libro* (CIC.).

c) Substantiva abstracta, ea potissimum quae sunt casus verborum percipiendi et asserendi, eleganter migrant in propositionem infinitam, non neglecta, si opus fuerit, regula: Cervi dicuntur diutissime vivere.

EXEMPLA: *Omnibus expedit salvam esse rem publicam* (CIC.) — Non me praeterit *Gallos fama belli praestare* (T. L.) — Perspicuum est *natura nos a dolore abhorre* (CIC.) — *Oratorem irasci non decet* (CIC.) — *Te hilari animo esse* valde me iuvat (CIC.) — *Populus Romanus Lycios et Caras liberos esse iubet* (T. L.) — Caesar ex castris *equitatum educi iubet* (CAES.) — *Pacis inter cives conciliandae te cupidum esse laetor* (CIC.) — Rex *cupiebat talem virum sibi conciliari* (C. N.) — *An temperantia sinet te immoderate facere quidquam?* (CIC.) — Apud Issum saepe narratum est *Darium ab Alexandro esse superatum* (CIC.) — *Me senem esse sum oblitus* (CIC.) — *Cyrum architectum mortuum Clodio nuntiabatur* (CIC.) — *Primum docent esse deos, deinde quales sint* (CIC.) — Rumores ad Caesarem afferabantur *omnes Belgas contra populum Romanum coniurare* (CAES.) — *Te iturum esse trans mare credere non possum* (CIC.) — *Caesar adventare et adesse eius equites* falso nuntiabantur (CAES.).

d) Substantiva abstracta, ea potissimum quae sunt casus verborum percipiendi et asserendi, non sine lepore convertuntur in propositionem interrogativam indirectam.

EXEMPLA: Multum detraxit Eumeni, inter Macedones viventi, *quod alienae erat civitatis* (C. N.) — Iuvat me *quod vigent studia* (P. I.) — Orant *ut sibi parcat*

EXEMPLA: *Quale sit non definitione intelligi potest* (CIC.) — *Postrema syllaba brevis an longa sit, in versu non refert* (CIC.) — *Est probabilius quod gestum esse dicas, quemadmodum gestum sit exponas* (CIC.) — *Non quantum quisque proposit, sed quanti sit, ponderandum est* (CIC.) — *Antea dubitabam venturaene essent legiones* (CIC.) — *In Themistocle et Aristide cognitum est quanto antestaret eloquentia innocentiae* (C. N.) — *Demus beneficium necne in nostra potestate est* (CIC.) — *Saepe ne utile quidem est scire quid futurum sit* (CIC.) — *Considera quid amico tuo acciderit* (CIC.) — *Satis est dixisse quam hoc pulchrum sit* (CIC.) — *Quantum valerent inter homines litterae, dixi* (PHAEADR.) — *De ea re cognoscit quae homines eloquentissimi senserint* (CIC.) — *Hodie expertus sum quam caduca felicitas esset* (Q. C.) — *Considera quid amicus tuus fecerit aut quid dixerit* (CIC.) — *Ignari, quid in poëmatibus, in picturis vitiis sit, nequeunt iudicare* (CIC.) — *Quid sit animus non magis tibi quisquam expediet quam ubi sit* (SEN.) — *Intelligo quanti rei publicae intersit omnes copias convenire* (CIC.) — *Quaeritur cur doctissimi homines de maximis rebus dissentiant* (CIC.) — *Scripserat non tam quid desiderarent quam quid meruissent* (T. L.) — *Vide quid virtus et quid sapientia possit* (HOR., Ep. ad Lollium) — *Cogita quantum bona exempla prosint* (SEN.) — *Cæli distributio et certarum rerum notatio docet unde fulmen venerit, quo concesserit; quid significet autem nulla ratio docet* (CIC.) — *Non quam multis placeas, sed qualibus stude* (SEN.).

e) Substantiva abstracta eleganter migrant in propositionem coniunctioni subiectam.

EXEMPLA: *Multum detraxit Eumeni, inter Macedones viventi, quod alienae erat civitatis* (C. N.) — *Iuvat me quod vigent studia* (P. I.) — *Orant ut sibi parcat*



(CAES.) — Senatus imperavit decemviris *ut libros sibyllinos inspicerent* (T. L.) — Aristidis aequitate factum est *ut summa imperii maritimi a Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses* (C. N.) — Quid obstat *quominus sit homo beatus?* (CIC.) — Themistocles certiorem Xerxem fecit id agi *ut pons dissolveretur* (C. N.) — Themistocles persuasit populo *ut classis aedificaretur* (C. N.) — Histiaeus Milesius obstitit *ne res conficeretur* (C. N.) — Agamemnon non dubitat *quin brevi Troia sit peritura* (CIC.) — Caesar dicere solebat non tam sua quam reipublicae interesse *ut salvus esset* (SUET.) — *Quum esset Caesar in citeriore Gallia, crebri ad eum rumores afferebantur* (CAES.) — Vercingetorix, *priusquam munitiones perficiantur*, consilium capit (CAES.) — Donec redit Marcellus, silentium fuit (T. L.) — Caesar equites in expeditionem misit, *ut eos qui fugerant persequerentur* (CAES.) — Illa, *quamvis ridicula essent*, mihi tamen risum non moverunt (CIC.) — Nihil agis, dolor: *quamvis sis molestus*, nunquam te esse confitebor malum (CIC.) — *Ut ille solebat*, ita nunc mea repetet oratio populi origines (CIC.) — Hac re maxime bestiis praestant homines, *quod loqui possunt* (CIC.) — Frumentum, *quoniam vilius erat*, ne emisses (CIC.).

f) Substantiva tum abstracta tum concreta in propositionem relativam haud raro migrant.

EXEMPLA: Non tam mea sunt *quae mea sunt*, quam *quae tua* (P. I) — Omnia tibi, *quae impie nefarieque per biennium es ausus*, gratiam facio (T. L.) — *Quod futurum est* provide (CAES.) — Plus in ipsa iniuria detrimenti est quam emolumenti *in iis rebus quae pariuntur iniuria* (CIC.) — In tria tempora vita dividitur: *quod est*, *quod fuit et quod futurum est* (SEN.) — Ea ipsa *quae concupierat* non consequebatur (CIC.) — Petit ne cui rei parcat ad ea efficienda *quae pollicetur*

(C. N.) — Conclamarunt omnes *qui aderant* (CIC.) — Noluerunt *ii qui iudicabant* hanc patere inimiciis viam (CIC.) — Crassus *quae in M. Marcellum dixerat*, probare non potuit (CIC.) — Sunt qui *ea quae quotidie imminent* non videant (CIC.) — Evidem non dubitabo *quod sentio dicere* (CIC.) — Nihil est difficilis quam reperire *quod sit ex omni parte perfectum* (CIC.) — Ad Suebos mercatoribus est aditus, ut *quae bello ceperint* quibus vendant habeant (CAES.) — *Iis qui vendunt, emunt, conducunt, locant, iustitia est necessaria* (CIC.) — Platonem reliquosque Socratis et deinceps eos qui ab his profecti sunt legunt omnes (CIC.) — *Ii qui erant cum Clodio recurrere ad rhedam incipiunt* (CIC.) — Quoniam illum qui hanc urbem condidit ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus, esse apud vos posterosque vestros in honore debebit *is qui eamdem hanc urbem servavit* (CIC.) — *Quae facitis* eius modi sunt, ut ea nobis contra vosmetipsos facere videamini (CIC.) — Avida est periculi virtus: *quod passura est gloriae pars est* (SEN.) — Frangas citius quam corrigas *quae in pravum induruerunt* (QUINT.).

S. Leonardi in Helvetia.
(Ad proximum numerum)

I. Jss.

Publii Syri sententiae:

A morte semper homines tantundem absimus.
Ab alio exspectes alteri quid feceris.
Absentem laedit cum ebrio qui litigat.
Ad poenitendum properat cito qui iudicat.
Aliena nobis, nostra plus aliis placent.
Alterius damnis gaudium ne facias tuum.
Amicos res optimae parant, adversa probant.
Amicum an hostem habeas aperit calamitas.
Angusta capitur tutior in mensa cibus.
Animo imperabit sapiens, stultus serviet.

INTERLUDIUM¹

Iter haud breve emensi, consistamus parumper animos viresque refecturi: atque interea respiciamus, nam id forte iuvabit, monente Alighiero

*A seder ci ponemmo ivi ambedui,
völti a levante ond'eravam saliti;
che suole a riguardar giovare altrui.*²

Exorsi a iuris intima natura, quam erui-
mus ex ipsa natura hominis a Deo condi-
tique ad Deum, ultimum suum finem, li-
bere redeuntis in societate perfecta, du-
plici quidem, Civitate et Ecclesia, suprema
adumbravimus genera iuris, iurisque civi-
lis universum veluti schema delineavimus.

Tum ad normam iuris explorandam pro-
gressi, eam vidimus quid et quotplex sit
generatim, quibusque e fontibus fluat: *quumque nobis primum occurrisset norma iuris ex non scripto, ab ipsa, quae in civili iure eo minus viret, paucis, nec tamen obiter plane, nosmetipsos expedivimus. Sed normam iuris ex scripto longe lateque explorandam ex utroque iure suscepimus, exorsi ab ipsis iuris scripti nominibus et indole, atque a legis definitionibus, notis, generibus; leges dein materiales et formales, quas vocant, exploraturi et quomodo leges instituantur, non dubitavimus rem paullo altius repetere, vel ex ipsa philosophia atque historia iuris, vel e constituti-
onal iure tum Ecclesiae cum etiam com-
plurium Civitatum novissimarum. Quum autem quaedam iuris normae non nihil a veri nominis lege recedant, has quoque penitus inspiciendas duximus, ad trutinam revocantes non paucas recentiorum opinio-*

¹ Ex opere quod iam iam proditum est sub titulo: *Ius privatum comparatum*, vol. II *De norma iuris* (Rome, pp. 750, pr. 1. 60) a cl. Auctore hoc ad nos missum est *Interludium*, in quo summa veluti capita voluminis attingens, is novissima quoque latino profert sermone, quae singulorum hominum ac populorum vitam intime tangunt:

² *Purg.*, IV, 52-54.

nes DD. de regulis ab organis aut legifero aut exequutivo datis, tum in Civitate cum in Ecclesia, deque normis quae sint ab Entibus Autonomis institutae, ubi etiam novissimas tetigimus de iure corporativo leges.

Latius autem nos deduxit exploratio de normae iuris vi atque virtute tum in seipsa, tum quod ad tempus, tum etiam quod ad locum. Atque quod ad primum, exploratis generalibus legis effectibus in seipsa, statim dispicientibus nobis efficaciam legis in subiecto activo, quod vocant, non pauca occurrerunt recentiorum inventa refutanda; sicut perpendentibus dein efficaciam legis in subiecto passivo salebrosae, inter alias, illae occurrerunt quaestiones de obiecto legis tum ecclesiasticae cum civilis proprio, ac de ignorantia legis, in iure romano, in canonico et in civilibus vigen-
tibus.

Sed ecce duo ardui equidem montes superandi, de legis vi atque virtute quod ad tempus et quod ad locum.

Quod ad tempus vidimus quomodo lex cesseret sive ab extrinseco sive ab intrinseco, sed animum nostrum integrum occupavit salebrosa illa questio, lex utrum agat retro, quam ex utroque foro peritorum agmina longe lateque ita ante nos peragrarent, ut vix aut ne vix quidem dignoscere quodnam esset iter certum tutiusque possemus; itaque vias fere omnes exploravimus qua alii, tum civilistae tum canonistae, ad novissimos usque, incesserant, sed demum, nec sine discrimine certo, nec sine sedulo consilio, via nostra incessimus, quae aptior, expeditior, humanior denique atque sanae logiae cohaerentior visa esset.

Quo superato cacumine, en aliud nos vehementer allexit de legis vi atque vir-
tute quod ad locum, unde omnes una simul nos amice invitabant quotquot per saecula disseruere de constitutionibus, de statutis, de iure quod appellant internationali pri-
vato, de territorialitate legis quam cano-

nistae recentiores dicunt: provinciam paene infinitam, arduam, inextricabilem fere, quae tamdiu nos retinuit, sed non sine eo vehementiore cupidine, nec forte fructu doctrinae; nam parvum tractatum videmur designavisse de iure quod vulgo dicitur internationale privatum licet nec internationale sit nec privatum, quodque nos alio nomine nuncupavimus.³ Subnexuimus denique nonnulla, quasi coronidis instar, de externi iuris receptione deque remissione.

O quam multis, o quam miris rebus heic delectati sumus; o quam magnos novimus ac venerati sumus in utroque foro magistrorum a vetustissimis ad novissimos, ex Italia, e Gallia, ex Hispania, ex Hollandia, ex Helvetia, ex Austria, e Germania, e Polonia, e Cechoslovacia, e Jugoslavia, ex Anglia, e Russia etiam novissima, ex Africa, ex utraque America, e Siniis, undique demum, quibuscum tanto cum animorum gaudio tantaque cum comitate versati sumus. O utinam, restituta tandem concordia iurium, restituatur concordia populorum eodem veritatis amore coniunctorum, eodem vinculo fidei, quae una tandem integrae veritati consonat, eodem studio sincero charitatis et pacis!

SYLVIA ROMANI.

³ Scilicet peregrinum (A. R.).

COMMUNIA VITAE

Expressi in humano sermone mores animalium.

In communem et quotidianum usum sermonis multa irrepserunt, quae prolata semel, etsi minus recte, vulgus amavit, et ubique passim in eloquia nostro versantur. Iam nemo inquit, et ab aliis tradita enunciavit, quae sublata optaremus, si minus inspicerentur.

Qua in re principem obtinent locum adiuncta quaedam, quae nonnullis animantibus damus, virtutes tribuentes munificissimi belluis et bestiis, a quibus certe irrideremur, si nostra intelligerent.

Cachinnum *leones tollerent audientes illud Ovidii:*

*Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni;
Pugna suam finem, dum iacet hostis, habet.*

Dic leonem praestantem viribus, dic impetu, dente et ungue terribilem; *magnanum* ne dicas.

Qui autem pecora et iumenta mortifer insequitur et assequitur, nec cervis, nec lepori, nec simiis inermibus parcit, hic ne magnanimus? Qui tot puellas, tot pueros in genua provolutos, orantes ad martyrium constitutos in amphitheatris discerpens lanianavit, hic ne magnanimus?

Fabula de leonis venatione est, asino, capra, et oves sociis assumptis, qua demum absoluta, et vasti corporis cervo capto et quadrifariam diviso, primam partem sibi leo tulit quia debitam, alteram quia nominaretur leo, tertiam quia rex animalium esset; si quis autem quartam tangere ausus esset, malo facturum proprio minatus est. Sic socios ieunios dimisit, et ipse potitus omni re est.

Talis est leo, qui neque elephantes, neque hippopotamus, neque serpentem vescem aggreditur, quia se hisce non aequum viribus sentit. Hic ne magnanimus?

Nunc ad *canem* veniamus. De homine, qui medios inter labores atterit vitam ut uxorem, ut parentes, ut filios alat, vulgatum dictum est: « vivit ad instar canis »; « vitam cane dignam agit ». Vidisti ne, sodes, laborantem toto die canem, instantemque operi, ut alios pasceret? Maxima pars canum (aut ego caecus sum) quatuor diei partes pacatissime dormit, una tantum vigilat!

At haec in bonum cani tributa gratuito, non ea tamen sunt quae calumniam acerbissimam rependant et aequent inustam.

Dicimus enim de parricida quovis, de quovis beneficiis non grato, de quovis, qui vel Neronis, vel Sullae, vel Ivani, vel Timour feritatem, atrocitatem aequet, « caninam habet animam! », « o anima canina! » Non recte, non vere verbum et similitudo invaluerunt. Nam quis homo homini amicus cane praestantior? Qui frustulo panis contentus, et saepe vel isto carens, dominum sequitur, blanditur, tuetur; domum, liberos custodit, advigilat; et, si quid contra, nec hostes numerat, nec vitam curat; sed unus in decem irruit etsi armatos, et latrat, nec quiescit; immo saepe domini interfectores suo modo indicavit. Qui verberatus, percussus a domino non mordet, sed eiulat, et fugit, aut saepe ad pedes domini supinus verbera experitur, eo ipso, si opus sit, compos assurgere, et contra inimicos domini irruere. Haec ne anima ferox? Anima haec ne immitis, Neroniana, Sullana? Quoties aliquid atrocius tigride et draconibus dicere optemus, non caninam, sed, opprobrio nostro, animam dicamus humanam. Monstra enim illa et sexcenta non e canum progenie, sed humano genere, et hodie heu!, parta sunt.

Neque minus in *equis*. Hi quippe fraeno dociles, obedientes dominis, amantissimi interdum, omne habent praeter unum quo similes dementi sint homini, qui contra rectam rationem suis abutatur in voluptuosis, in futilibus, inconstans, varius, sine moribus et modis. Et de homine huiusmodi tamen plerumque dicimus, praesertim si iuvenis: « demens ut equus! »

Haec, et pleraque ab animalibus in eloquium nostrum minus iure venerunt; sed et plurima sunt quae iure, quae recte, quae optime animalia dederunt nobis habenda ex usu et moribus suis.

De puella domi satagente et assidue omnia curante dicimus: « Argumentosa ut apis ». Quid pulchrius?

De homine miti, benigno, qui nec irascatur irascentibus, neque nocentibus red-

dat, neque lassitus noceat misericors, benignus et pius, commune in labiis habetur: « Mansuetus ut agnus ».

« Pius ut avis » recte, ut columbus praesertim, laudatur parens in filiis alendis, tantandis totus, nec laboribus nec vigiliis parcens. Laborem et curam similitudo graphiche describit.

Sues turpissimi foeditate existimantur, insatiabiles cibo, et somno ventrique tantum intenti. Qui similes hisce vivunt nihil de virtute, de animo, de futuro, de Deo agitantes, aptissime pinguntur, quum ipsis illud Horatianum imponatur: « Epicuri de grege porci ». Laudo pingentem.

An et maledicas feminas (quamvis inter viros et frequens haec labes) oneramus vituperio, quum dicimus in labiis et in linguis habere « venenum aspidum insanabile »? Num minus quam *vipera* nuncupanda est, quae tot imposuit vulnera quot emisit verba, et quot vulnera tot funera sparsit?

« Segnis ut testudo », « pernix ut cervus », « pavidus ut lepus », « patiens ut asellus », « rapax ut aquila », « tumidus ut gallus indicus », vel « pavo », « musicus ut philomela », et alia innumera pulcherrime data ac retenta sunt, queis non modo ornatur, sed luce ditatur eloquium.

Optime faciemus igitur si, quae vera sequentes, ab aliis abstineamus, nam « dicens recte sapere est et principium et fons ».

X.

Publii Syri sententiae:

Arcum intentio frangit, animum remissio.

Ars non ea est, quae ad effectum casu venit.

Avarus ipse miseriae causa est suae.

Audendo virtus crescit, tardando timor.

Auferrit et illud, quod dari potuit, potest.

Aut amat aut odit mulier; nihil est tertium.

Auxilia humilia, firma consensus facit.

COLLOQUIA LATINA¹

XXVIII.

Vestientes se et reliqua pergentes.

CALLISTUS, ADOLPHUS, HENRICUS,
SEBASTIANUS.

CALLISTUS. — Adolphe!

ADOLPHUS. — Hem, quid est?

CALL. — Veni huc, sis.

AD. — Quid hic homo vult?

CALL. — Quid ais?

AD. — Qua de re?

CALL. — Cur piget te magis attrahere sursum bracas, thoracique cingulis subligare, ut pulcre, sine plicis atque rugis, adhaereant corpori undique, uti meas vides adhaerere? Nam hoc negligere quid est aliud quam segnem et desidiosum velle argui?

AD. — Novimus te philocalon et munditiorem ipsa munditia. Porro meas ille indoctus sartor nimium laxas, nimium longas fecit: nihil attrahendo proficio.

SEBASTIANUS. — Tune fregisti hunc scyphum, Henrice?

HENRICUS. — Apage cum istac insimulatione: nuces iuglandas, castaneas, amygdalias fregi multas: hoc unum scio.

AD. — Ecquis pectinem meum sublegit?

CALL. — Ne clama; en illum tibi. Ego ante usus sum, quam tu experrectus essem, quia meum nescio ubi deposuerim.

AD. — Super risco videbam heri.

CALL. — Visam. Rem eloquutus es: hic est. Pecte igitur caput, Adolphe, primum radiis rarioribus, tum densioribus a breg-

mata in occiput; rursumque ab occipite in sinciput ducito: sic enim — aiunt — pori aperiuntur et exhalationibus caput levatur.

AD. — Obtempero; ac vellem id me antehac docuissem. — Da inductorium: calcei sunt angusti et breves. — Ut stridet sella haec!

CALL. — Certe; nonne vides fulmenta eius quam cariosa sint? Senectutis morbus!

HENR. — Globulos thoraci assutos unumquemque ocello suo fac indas, Adolphe, ne, eo infra aperto, sub interiore tunica ventriculum tuum spectandum ingeras.

AD. — Euge, calceolos tuos nitidissimos vinculis suis obliga, ne laxi in pede haerent.

CALL. — Ohe! hic tapes de pariete cadet, tot passim abiunctis annulis quibus ad uncinulos suspendebatur. Sebastiane, providebis ne caput alicuius feriat.

SEB. — Fiat.

AD. — Da, queso, ut abluem faciem et manus. — At guttus et pollubrum haec quam immunda sunt! Demus ancillae teruntios aliquod ut permundet: interim ad salientem aquam lavemus in atrio.

CALL. — Continuo te sequemur. Tolle tecum linteas, quibus nos extergamus postquam laverimus.

SEB. — Tu, Henrice, ut aspersus es atraimento! Ut digitos habes sordidatos! Calida opus tibi sit, non frigida, et cum smegmate.

HENR. — Eo diligentius lavabo.

SEB. — Frica auriculas: sunt et ibi sordes; et gargarizabis si et fauces purgandae sint.

HENR. — Doctum ne doceas.

CALL. — Eamus; ego obserabo cubiculum.

SEB. — Clavim autem in porta relinque, ut nuper, unde cleptatum irrepens quispiam, alterum mihi scabellum auferat et pulvilos deinde; ac, nisi grave sit nimium, grabatum cum ipso lecto et toralibus!

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

CALL. — Nullus est hoc meticulosius aequae.

SEB. — Si spondes te damnum praestaturum, non metuam.

CALL. — Spondeat qui velit; mihi non est otium.

ANNALES**Res in Mediterraneo mari contractae.**

Post ea quae de Mediterraneo mari in Mediolanensi oratione, quam fuse in superiore numero retulimus, Mussolini, Italorum administer primus, edixit, in Anglia Eden, illius civitatis exteris rebus praepositus, de Anglicis circa idem mare necessitatibus apud legatorum coetum legibus ferendis disseruit. Contractae — inquit — in mari Mediterraneo res dici possunt: si enim Italii illic vita est, vitalis quoque ratio pro Anglia constituitur ex aditus motusque libertate in iis aquis: de rationibus itaque inter duos populos addictiveis potius quam diversis loquendum est, neque est dubium quin si Italiae mens non sit Anglicis negotiis insectari, Anglia identidem paria sit relatura, ita ut duae simul nationes una et in posterum simul ibi vivere possint, non solum sine quavis conflictione, sed mutua etiam cum utilitate.

Nonne hinc via aperiatur pactioni, quae tum Italiae Angliaeque commoda tueatur, tum rebus aliarum quoque nationum, quae Mediterraneum mare alluunt, caveat? Hanc proposuit deinceps Mussolinius, atque sperandum est fore ut ea proxime feriatur. Interim pacta subscribuntur ad restituenda Italianam inter et Angliam commercia; et ab Adis-Abeba, Aethiopici imperii urbe capite, Indorum militum praesidium revocatur, quod Anglia in tutelam illius legationis suae miserat, assumpta nunc ab Italii tutela tum civium tum aedificiorum Anglicorum.

Italorum in Africa progressiones.

Aethiopici imperii occupatio ad extremos eius fines iam protenditur sine ulla sanguinis effusione: ad Gimme, Iabdo, centrum fodinarum platini metalli, ac demum Gore, ubi dictabant Aethiopes apud Nationum Societatem legati summa rerum suarum fuisse translata, quarum ne indumentum quidem inventum est; atque deinde in lacuum regione ad Allata, Uondo et Irgalem.

Italorum in Aethiopia imperium ab Austriorum, Hungarorum et Chilena republica quoque agnatum est.

Hungaricae civitatis Rector, Romae hospes.

Postquam Ciano, Italus exteris negotiis praepositus, Vindobonam ac deinde Budapestinum petiit ad sociam cum Germania operam perficiendam, Horthy, Hungaricae civitatis Rector, Romam venit, magno cum plausu et gratulatione exceptus. Summum quoque Pontificem sollemniter invitit.

Nova condicionum Versaliensis foederis a Germania facta retractatio.

Inter Versaliensis foederis condiciones ea quoque erat, nempe ut per annos decem et septem maxima Germaniae flumina sub exterarum nationum legatorum custodia haberentur. Illo tempore recens exacto, Germania hoc onus publice retractavit. Praeter Galliae steriles reclamaciones, nihil aliud inde sequuturum videtur.

Hispanicum bellum civile.

Maiora enim premunt: in dies quidem patet Hispanicum civile, idque infansimum bellum, a bolscevicarum secta mo-

tum fuisse et quotidie ali; eamque immo conari ut per orbem universum pessimas artes suas diffundat. Oportet igitur ut nationes omnes omni vi obsistant, nisi a fundamentis subverti velint et in horridum chaos mutari. Hoc profecto consilio *nationalistarum* Hispanico gubernio Germania atque Italia adhaeserunt, adversus quod factum Hispanici *communistae* administri, qui, Madrito relicto, Valentiam confugerunt, ad Nationum Societatem provocare non dubitarunt. De quo vero dubitare possunt impudentes illi furciferi?...

Civitatum foederatarum Americae septentrionalis comitia.

Comitia apud Civitates Septentrionalis Americae foederatas recens habita ad novum Praesidem summum eligendum, in favorem Roosevelti copiose absoluta sunt; qui ideo in suo munere permanxit.

POPLICOLA.

VARIA

De illustrium civium Romanorum paupertate.¹

Ad publicam libertatem in Republica conservandam plurimum interest, ne cives opibus admodum augeantur. Id, utrum aliquo statuto Romae cautum fuerit et quodnam illud esset, ignorare me fateor, praesertim quum leges agrarias toties oppugnatas esse neverimus. Sed hoc tamen constat, circa annum quadringentesimum a condita urbe, plurimos Romanorum civium pauperes fuisse. Nec verisimile est aliam huius causam, quam quod paupertas nemini obstaret ad honores et magistratus quoslibet adeundos. Virtutis ratio habebat

tur solum, eaque expetebatur in diligendis magistratibus et muneribus distribuendis, quacumque tandem seu domo, seu casula habitaret. Quae res efficiebat, ut opes diuinaeque contemnerentur. Haec ita se habere vel uno hoc exemplo apparuit.

Quum Minutius consul adversus Aequos bellum gerens ab iis circumventus et obcessus esset, tantaque iam in urbe Roma trepidatio foret ac si moenia obsiderentur, ad id remedium ventum est, quod rebus afflictis unicum habebant, ut dictatorem L. A. Cincinatum, consensu omnium dixerint. Hic vero — ut Livius ait — operae pretium est eos audire, qui omnia prae divitiis humana spernunt, neque honori magni locum, neque virtuti putant esse, nisi ubi effuse affluent opes. Spes unica imperii populi Romani L. Quintius Cincinatus trans Tiberim quatuor iugerum colebat agrum. Ibi ab legatis, seu fossam fodiens bipalio innixus, seu quum araret, operi certe agresti intentus, salute data invicem redditaque, rogatus ut quod bene verteret ipsi Rei publicae togatus mandata Senatus audiaret, admiratus, togam propere e tugurio proferre uxorem Raciliam iubet, qua, simul obstero pulvere ac sudore, ubi velatus processit, Dictatorem eum gratulantes consalutant, in urbem vocant, et qui terror sit in exercitu exponunt. Ille in urbem veniens, collecto mox exercitu, Minutium liberavit, Aequos, a quibus obsidebatur, spoliatos omnibus rebus nudos sub iugum misit, praedam ingentem suis tantum militibus divisit, Consularem exercitum ipsumque Consulem increpans: « Carebis — inquit — praedae parte ex hoste, cui prope praedae fuisti; et tu, o Minuti, donec Consularem animum incipias habere, non Consul deinceps, sed Legatus his legionibus praeris ». Idem hic Dictator Magistrum equitum in hac expeditione dixit L. Tarquinium Patriciae gentis, sed qui propter paupertatem stipendia pedibus fecisset, bello tamen primus Romanae iu-

ventutis esset. Usque adeo non obstabat iis temporibus virtuti paupertas, ut viro forti atque egregio Quinto Cincinato sufficerent ad victimum quatuor agri iugera.

M. Attilii Reguli temporibus etiam fuisse videtur civium Romanorum eadem paupertas. Nam quum is in Africa contra Carthaginenses bellum gereret, petiti a Senatu ut liceret sibi redire in Italiam, et villam, quam mercenarii devastassent, restaurare. Eam igitur frugalitatem populi Romani admirari debemus, qui non opes ex bello, sed laudem atque gloriam quarebant; praedam in aerarium conferebant. Quod si ex bello opus quererere studuisserit, parum curasset ille, qui in Africa militabat, num agri illius Romae recte cohererent an non.

Modestiam autem et magnanimitatem civium Romanorum, quis non evehat ad caelum usque? Qui quum exercitui praefererentur, maiores se quolibet Rege censemabant. Non reges illos, non populi aut Respublicae ulla terrebant: domum reversis ac deposito magistratu, deinde humiles erant, parci, ad rem attenti et exiguorum praediorum assidui cultores: magistratibus obsequebantur, maiores suos in honore habebant et reliqua modestorum civium officia tam diligenter obibant, ut quis magnopere admiretur in iisdem animis tantam mutationem esse potuisse. Duravit haec civium Romanorum frugalitas usque ad tempora Lucii Pauli Aemilii, quae ultima fuit aetas Respublicae felix faustaque. Nam idem comparata ingenti praeda aerarium ditavit, parum curans si interim ipse consueta fortuna contentus esse cogeretur; usque adeo enim nullus ob paupertatem contemptui habebatur, ut quum generum, qui in eo bello praeclararam operam Respublicae navasset, argenteo vase donasset, id primum argentum fuerit, quod in illam domum prius unquam pervenisset. Quo loco non incommoda occasio se offerret disserendi et ostendendi, illam longe utilio-

rem humano generi magisque salutarem exstissee, quam opes; quod illa multae praeclarae artes inventae exultaque fuerunt, quas opes et luxus postea perdere consueverunt.

De quodam avaro.

Fama est, quum vidisset quidam avarum argenti multum ferre, rogavisse eum, ut sibi mutuo daret cum foenore reddendum. Ille vero noluit, ut qui nulli fideret iuvaretque neminem. Itaque quodam in loco argentum recondit; quod quum alias animadvertisset, suffuratus est. Reversus ille postea qui pecuniam absconderat nihilque invenisset, maximo motus est dolore ob calamitatem, tum alias, tum quia roganti non mutuo dedisset pecuniam, quae quidem ei salva mansisset, et insuper attulisset lucrum; quumque incidisset in virum cui mutuare prius noluerat, infortunium suum deploravit, et poenitere se dixit, quod ei non obsequutus, sed ingratus fuisse. Ille autem bono animo ipsum esse iussit, atque existimare lapidem in loco a se fuisse depositum: « Omnino enim — dixit — ne quum habebas quidem argentum, eo utebaris; quamobrem etiam nunc ne putaveris te ulla re privari. Illud etenim quo nec usus, nec usurus es, nihil, sive praesens sis, sive absens, magis minusve te laedit ».

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Iusculum polentarium.**Obsonia varia fricta.**Artocreas ex faseolis.**Succidia assa, epityro farta.**Collyrae, rubri suco madidae.*

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

ME. Haec verba et patriae salutem decontatus eloquor:
 Karthaginenses non oportet permutarier.
 Te rogo primum, Valeri. — VA. Evidem constans sequor
 Maiorum vestigia, apud quos unusquisque civium .
 Salutem invenit et praesidium. Ego illorum nepos
 Nullam vocem mitto, nisi quod virum istunc fortissimum
 In libertatem concupisco vindicarier.
 Ne, patres, obliviscimini: Romana civitas
 Multum isti debet et debet plus in postero.
 RE. Numquid tu me putas etiam nunc esse Regulum?
 Ecastor non illum, sed umbram illius adspicis.
 Nam istud bracchium, quod levarat tela fortiter,
 Elanguit, exaruit, obscurati sunt oculi,
 Pectus infirmatum aere carcerario. Vires mihi
 Defecerunt, vieti poplites me vix trahunt.
 Satis diu iam lucebat lumen vitae meae, satis
 Vehementer iam me saeva tempestas adflixerat,
 Nil ergo mirum, si lumen obscurum sensim extinguitur.
 Num talis est, Quirites, imperator, quem vos quaeritis?
 Mi credite, riderent hostes, si pro morbido
 Et languido et delumbato leone, quo iam callide
 Unguis praeciserint et nervos exsecaverint,
 Omnis malo furore plenos captivos recipent.
 Ne istuc sinatis: permutatio esset vere Punica.
 VA. Non imperator solum in bracchiis, verum in magno animo
 Habet vires. — RE. Ex ore cepisti voces mihi:
 Victoria virtutem et virtus parit victoriam.
 Minuitur victis animi sublimitas et pondera
 Curarum quasi cogitationum pinnas alligant,
 Cessat consilii decisio, iam cessat exsecutio,
 Alis velocibus tempus opportunissimum
 Et una fortuna avolat. — VA. Pol fortunae rota
 Sine intermissione vortitur et quod subtus fuit,
 Mox supra comparet. — RE. Ad rem gravem me cogitis;
 Coactus sum meas omnis infirmitates prodere.

(Ad proximum numerum)

REGULUS

[11]

INDEX RERUM VOL. XXIII

(AN. XXIII – FASC. I-XII)

Actiones dramaticae.

	PAG.
Regulus (<i>I. Collin-F. Fehér</i>):	17, 34, 53, 71, 89, 81, 107, 125, 143, 161, 196.

Alloquia sociis et lectoribus.

1, 110, 129, 181

Archaeologica.

De Romanorum sepulchris elementa (<i>I. M.</i>)	168
Cfr. quoque Historica .	

Ars.

De ingenuis artibus in populum pervulgandis (<i>I. Antonelli</i>)	21, 55
Iterum de ingenuis artibus in populum per-	
vulgandis (<i>I. Antonelli</i>)	129
Polychromia apud Graecos in statu <i>s</i> (<i>G. P.</i>)	149
De ingenuis artibus christiano more exer-	
cendis (<i>I. Antonelli</i>)	181
Cfr. quoque Historica .	

Carmina.

Italiae ingenium et officium (<i>F. Sofia Alessio</i>)	4
Pio XI P. M. annum Sacri Principatus deci-	
cium quintum feliciter auspicianti (<i>T. Bellatreccia</i>)	19
Ad Christi sepulcrum (<i>H. N.</i>)	42
Pomptinae paludes exsiccatae (<i>A. Monti</i>)	57
Hyle (<i>V. Genovesi</i>)	73
Caelimontanum (<i>I. Antonelli Costaggini</i>)	80
Arrhae triumphales (<i>I. Antonelli Costaggini</i>)	95
Ad Q. Horatium flaccum bismillesimo ex-	
eunte anno ab eius ortu (<i>A. Trazzi</i>)	111
Feriae montanae (<i>F. Sofia Alessio</i>)	127
Mors laniata (<i>I. Favaro</i>)	145
De novo horologio Messanensi (<i>I. Morabito</i>)	171
Puerilia seu Platea Vergiliana (<i>A. Trazzi</i>)	183

Certamina poetica.

Ex Batavia - Certamen poeticum Hoeufftianum	63, 76

Civilia.

	PAG.
De novis civium conlegiis quae « Corporations » nuncupantur (<i>Romanus</i>)	109
Ex Sinis (<i>H. Molendinus</i>)	135

Colloquia latina.

I. Pontani Progymnasmata latinitatis (Pas-
sim retractavit hodiernisque moribus
aptavit <i>I. F.</i> :
Frustratio petiti atramenti
Repetitio
Examen
Disputatio
Concertatio scriptionis
Praemia
Virtus in pueru
Pensum diurnum
Vestientes se et reliqua peragentes

Communia vitae.

Ludi veteres et recentiores (<i>Alpha</i>)	27
De diversis animalium vocibus (<i>P. d. V.</i>)	98
Expressi in humano sermone mores anima-	
lium.	190

Fabulae.

Cornix	15
Cycnus moriens	31
Vulpecula ac tintinnabulum	52
Aegrotus et Medicus	69
Aethiops	87
Formica	105
Ovis et Canis	141
De plausto recenti et vetere	142
De leone et homine	159
De quadam avara	195

Historica.

De sacro fato Urbis Romae (<i>E. Card. Pa-</i>
celli)
<i>F. Sofia Alessio</i>)
127
Iosephus Parini (<i>D. T.</i>)
61
De crucis et capitis poena Christianis irro-
gata (<i>S. S.</i>)
93
Ioannes Ruskin (<i>I. Antonelli Costaggini</i>)
113
Ex Nicolai Machiavelli opere « De repu-
blica disputationes ex prima decade
T. Livii » latine vertit <i>H. Bindi</i> :